

7  
590/

PRINCIPIſ AV-  
RAICI GVILIELMI  
NASSOVII CAEDIS, ET SVPPlicii,  
TORMENTORVMQVE, QVIBVS BALTA-  
SAR GERARDI, ALIAS SERACH, EIVS IN-  
terfector Delphis Batauorum affectus est,  
succincta & vera nar-  
ratio.

Numer. XXV.

*Ecce ego do ei pacem foederis mei & car. qui zelatus est pro Deo  
suo & expiavit scelus filiorum Israel.*

I. Mach. II.

*Et zelatus est legem, sicut fecit Phinees Zamri, filio Salom.*



ANNO M. D. LXXIIIIT.

IN BALTHAZARIS GERARDI  
CVM AFFICERETVR SUPPLICIO  
CONSTANTIAM.

**D** Vm tua terribilis laniaret brachia forceps,  
 Vbera, moxq; suras vreret, atq; femur.  
 Stringeret is dexteram crudeli deniq; morsu;  
 Cunctaque tu latis vultibus exciperes:  
 Quin foderet pectus, cor viuo auelleret, ori  
 Projiceret tortor, nec tamen ingemeres:  
 Ostupui tantos animos tibi. tuque Gerarde  
 Carnificis seui, vt tempseris vsque manus.  
 Ast vbi te vidi penetrantibus athera labris  
 Ex imo sanctas fundere corde preces;  
 Te Deus, o, dixi (nam quis neget?) ipse tuetur;  
 Inuicto vt superes horrida quaque animo.  
 Ite atri o soboles Erebi furibunda, rebelles:  
 Hac fieri immundis dicite spiritibus.

CÆ

CÆDIS PRINCIPIS AV-  
RAICI, ET BALTAZARIS SERACH  
SVPLICII FIDELIS NARRATIO.

**R**AECLARE atque eleganter vt omnia, eloquentif-  
simus ille Cicero, in secundo, quem de officijs scripsit,  
libello demonstrat, nullius ferè qui per vim & crudelita-  
tem Remp. administrat, imperium esse diuturnum:  
multorumq; odijs nullas opes nullaq; præfidia posse obsistere,  
quo minus aut ex insidijs pereant, aut multitudinis impetu palam  
occidantur. Confirmat idem poëtæ obseruatio:

*Ad generum cereris sine, cade & sanguine pauci*

*Descendunt reges, & sicca morte tyranni.*

Id si antea fuit ignotum, nuper est cognitum. Guilielmus enim  
Nassouius Princeps Auraicus, postquam à laudatissimo Impera-  
tore Carolo quinto multis honoribus, opibus & dignitatibus cu-  
mulatus & ornatus esset, quas filius eius Philippus Hispaniarum  
Rex in super auxerat, eumq; prouinciarum aliquot Belgicarum  
gubernatorem creauerat, ignoratus hic & beneficiorū immemor,  
excluso rege ipso, prouincias istas inuasit, & armata vi occupauit.  
Deinde Ecclesiam Dei persequi cæpit: templa, monasteria, aliaq;  
loca pia demoliri, aras subuertere, sacramenta cõculcare, omnem  
supellectilem Ecclesiasticam diripere: sæuire ad hæc in vtriusq;  
sexus & ordinis homines Catholicos eos in exiliū eijciendo, pro-  
scribendo, ad supplicium rapiendo. quam impietatem cum ali-  
quam diu exercuisset, diuina tandem prouidentia exitum forti-  
tus est infelicem. qui qualis fuerit ex diuersis literis à viris fide di-  
gnis ex Hollandia scriptis, & impressis, hæc quæ sequuntur de-  
cerpsimus, lectoriq; communicauimus.

AURAICVM Principem ante quadriennium à Rege Hispa-  
niarum legitimo suo Magistratu, publica sententia proscri-  
ptum esse, neminem vel dubitare puto, vel ignorare. Deerat tan-  
tum qui sententiã exequeretur, & se iustitiæ ministrum offerret.  
Tentarant id antea suo periculo diuersis in locis duo: sed ad pro-  
positum scopum non peruenerunt. Tandem, quidam Burgun-  
dus origine, patre mercatore, matre Bisontina, in pago propè  
Lugdunū Villafamensi natus viginti quinq; annorū adolescens,

eruditione, facundia, rerumq; agendarum dexteritate insignis; postquam Principis Auaici caedem a tempore proscriptionis indefesso animo meditatus esset, tandem anno post natum Christum 1584. die decimo Iulij, circa secundam horam pomeridianam, perempto Auaico, patrias Belgicas ab eius violenta administratione liberauit. Postquam enim Auaicus felicem Parmensis Principis successum in Brabantia & Flandria videret, sibi metuens, Antverpia Delphos Batauorum, in monasterium D. Agatae (cuius Coenobiarcha D. Musius Poeta clariss. eo coniuente suspensus erat) commigravit. Interea mortuus est Alenconius Gallus, aliquando fictitius Brabantiae Dux. cuius obitum ut mater Auaico per nuncium & literas significaret, hunc Balthasarum tanquam Principi familiarem & in eius aula 7. annos (ut dicitur) educatum, in Hollandiam ablegauit. Haesit hic aliquamdiu in aula inter nobiles admissus, & captabat oportunitatem perficiendi, quod dudum animo destinarat: plus sollicitus ne manus erraret, quam de tormentis, quibus ipse esset afficiendus: Hostiam enim iam dudum pro populo sese Deo deuouerat.

Decimo itaque Iulij anni praedicti, cum Auaicus pranderet quodam cum Leovverdiensi consule, Adolescens hic dimissus, & iam iam ad redeundum in Franciam (ut illi existimabant) expeditus, celerem equum extra urbem (si fortassis post factum elabendi daretur oportunitas) in omnem euentum iussit sibi praeparari. Circa secundam horam cum iam Principem a mensa surrecturum arbitaretur, in aulam reuersus, & ab excubatoribus, sub praetextu Principem ob quaedam oblita conueniendi, admissus; Auaicum ad ipsos coenaculi gradus descendentem expectat: sclopetum habens sub pallio, tribus globulis illito veneno infectis, & sibi inuicem concatenatis, oneratum. Prodeuntem vero Principem, ad quem propter legationem, liberum habebat accessum, conueniens, sclopetum in cor illius collimans, exonerauit: Globi sub mammilla sinistra, vulnere latitudinis duorum digitorum inflicto, penetrantes, stomachum atque omnia intestina per ruperunt, & dilacerauerunt. vno ex globulis corpus penetrante, ceteris aut duobus inter intestina haerentibus, & horrendum ea in modum dilacerantibus: ipse vero accepto vulnere statim in terram corruens, & ad vnus tantum Dominicae orationis spacium solis labijs non nihil palpitanans, vitae finem imposuit.

Præsidium autem audito sclopeti sono, & ex vociferantiū clamore intellecta domini sui morte, dum inter se tumultuatur, & facinoris huius authorem inquirat, Balthasar per stabulum hortu vicinum fugiens, iam penè ad ciuitatis portā peruenerat, equum suum conscensurus: nisi ex Auraici prætextatis asseclis vnus, qui patratae cædi præfens interfuerat, illum insecutus tandem comprehendisset, tantumque colluctando exhibuisset negocij, vt ab alijs superuenientibus captus, & in carcerem abductus sit, ex quibus ille omni trepidatione deposita, cum sibi elabendi viam præreptā videret, protinus perconctatus est, an Auriacus mortuus esset? Sed illi mortem ex industria ad mortem vsq; celarunt, quo tantum fieret illi pœna grauior, quantum facinoris esset euentus incertior. Nihilominus tamen de optato successu optimè sperans, intrepide ait: se quidem haud nescium esse, certò sibi moriendū fore: verum impensè gaudere quod id iam perfecisset, quod ante annos septem, vt faceret, animo deliberatum atque conclusum habuisset, mortemque hilari se & perlubenti animo appetiturum, re ea fortiter patrata, quam alij nonnulli ante se, etiam vita amissa, perficere non potuissent.

Questionibus deinde subiectus, & præsentem magistratu diligenter examinatus, an ab Hispaniarū Rege, vel ab alio quopiam mercede, vel promissis inductus, ad cædē istam animū adiecisset, postquam scripto primum pulcherrimo & firmissimis subnixo rationibus, feriem & causas facti sui complexus fuisset, respondit nec prece, nec precio mortalium cuiusquam, sed solo suæ instinctu conscientie, causa liberandæ à tã immani tyranno cõmunis Reip. permotū, tam inclytum & pium facinus designasse, pro quo non dubitaret paratam sibi insignis in cælo præmij remunerationem. de corpore verò suo supplicij excarnificando (neq; enim id à se præuisum non fuisse) quando iam Dei permissione in eorum potestate esset, statueret, quicquid vellent. Ego inquit nunc quod meū erat perfeci, vos deinceps quod vestri videbitur officij peragite, mortem & quæcunque potestis excogitate tormenta: nihil moror.

Quare prima nocte in eculeo suspensum, quinque vicibus crudelissimè virgis ceciderunt, plagas mox omnes melle oblinentes, adduxerunt hircū, qui vnà cum melle laceram vndiq; cutem linguæ suæ scabricie labendo auelleret: sed hircus (quo modo olim

Danie. leones) sic & is contingere eum non voluit. Deinde alijs diuersis affectum pœnis, & tandem in vanno positum, manibus pedibusq; colligatis, ne somnũ capere posset violenter ea nocte impeditũ tenuere. Succedentib. post hæc diebus & noctibus, post ludibria, sannas, & irrisiones multiplices, eo ex manibus in tergum reiectis iterum in eculeo suspenso, 200. librarum pondus, ex maioribus pedum digitis alligarunt. Quo acerbissimo supplicio cum eum media hora excruciasent: calceis ex crudo canino corio, oleo illinitis, pedibusq; eius duobus digitis breuioribus eum induentes, ad ardentem rogam collocarunt. Mox verò vt calcei ignis perceperunt calorem, in longè minorem, eamq; sphericam formam fuere, vnà cum pedibus, contracti: quos postea exuentes, simul cum calceis, cutem & carnem auulserunt.

Cum ergò hoc modo pedes truncassent ex illis quo illi flammis adusserunt. postea indusio aquæ forti immisso incensoq; amictum, & ardente perfusum adipe, acubus item & clavis manuum pedumq; vnguibus profundè infixis, horrendis illuminatis post alios cruciatibus, terribiliter exagitauere.

Ceterũ cum omnia hæc constanti animo & imperterrito vultu perferret, nullo edito inter tanta supplicia commotionis aut doloris signo, omnibus toto corpore crinibus abrasis, veteri illum putentiq; lotio (quod etiam D. Lucie contigisse legimus) perfuderunt, & aliena veste hominis morbidi, ex proximo allata Xenodochio, induerunt: quòd hæc ad pellendam incantamentorum vim, quib. contra tormenta tueri se illi putabãt, valere iudices arbitrabantur. Sed cum nec hoc modo quidquã proficerent, & ille ad quæuis perferenda peræquè vt antea persisteret fortis & inuisctus, quærentibus quid inter tanta tormenta cogitaret, respondit: Bone Deus, largire mihi tantũ perseuerantis patientiæ donum. Rogatus deinde qua ratione ad tantas pœnas & cruciatus non amplius moueretur: Piorum, inquit, preces id efficiunt. Consuli constantiam eius admiranti, Constantiam, ait, meam in obeũda morte clarius intueri licebit.

Extra tormenta autẽ positus, fixis in cælũ oculis, septem psalmos vel Litanias secũ voluere audiebatur, dataq; loquedi oportunitate, liberè & blandè cum singulis agebat, tã præsentem eius animũ hilaremq; vultum ipsis carnificibus admirantibus, & spectatorum

4

eorum permultis non sine lachrymis ista contuentibus. quibusdam etiam hominem eum esse negantibus, alijs verò eius cum dentiū stridore virtuti inuidentibus: quibus perfidorum Iudæorū more suscitantibus, à quo tempore animam suam diabolo deuouisset, summa cum modestia respondit; sibi nullam esse cum diabolo notitiam, nihilque omninò commertij. Qua etiam ratione aliàs quando proditoris, parricide, sicarij, aut alijs id genus contumeliosis incessetur nomenclaturis, Christi exemplo simpliciter ea negando, se defendit, Nec rarò quoque varias sibi obiectas calumnias & iniurias, demissis in terrā oculis, tacitus dissimulauit. Iudicibus tamen perbenignè semper ad omnia respondit, & insuper de impensa sibi in carcere sustentatione, gratias egit, vicemque se illis relaturum promisit. Quærentibus, quam vicē? Aduocati, inquit, in paradiso. Illis subnectentibus, de quo loqueretur paradiso? Non noui, ait, præter vnicum cælo vicinum, Sæpius ergo examinatus, & varijs exquisiti generis quæstionibus tortus, cū nihil confiteretur aut diceret, quod illorum auribus magnoperè gratum esset, tertio decimo præscripti mensis die, de morte sibi imminente certior factus; & postridie audita condemnationis sue sententia placidissima voce inclyti martyris illius Diui Cypriani verba vsurpans, dixit: Deo gratias. Nullo igitur non exhibitum cum admiranda animi fortitudine Christianæ māsuetudinis specimine, animo semper præsentis & imperturbato, vultu hilari colore & oculis viuidis, pedibus autem debilis, & infirmus, cute & pedum digitis ex adustione & acuum clauorumque infixione liuidis & luxatis, corpore denique toto per tanta tormenta horribiliter deformato, in theatrum productus est, & palo seu cruci se alligari passus, nihil de consueta animi constantia remisit, aut vllā trepidationis signum, ad mox inferenda sibi immania illa tormenta ostendit: quorum vel sola memoria ingentem homini incutere terrorem posset: nam haud deerant ex circumstantibus complures, qui solo eorum contuitu, à se deficerent, animisque linerentur.

At iste generosus Adolefcens sicut præcedentes cruciatus omnes, & mortis sue sententiam magno & inuicto animo exceperat, ita quoque eius executionem, quæque illi ferenda restabant tormenta, in totius cōspectu ciuitatis, mente imperterrita, & incredibili fortitu-

A 4

titu-

titudine sustinuit, suoque sanguine æternam sibi gloriosi nominis memoriam consecrauit. Ipso autem ad palum, vt dictum est, alligato, carnifices ante scopetum incudi impositum quo facinus patratum erat (nam & hoc licet inanime pœnam lueri debebat) ferreis malleis non sine magno labore confregerunt. De hinc ipsum totum orationibus intentum, & veluti in Deo absorptum, thorace exuerunt, & femoralibus ad pedes demissis, indusioque circa verenda colligato, carnificum alter dexteram eius apprehendit, eamque inter candentes laminas, seu artoptam, quam alius tenebat compressam exussit, fumo eius & odore totum penè forum complente. mox carnifices forcipibus candentibus mammillas illi, & ex brachijs, lateribus & femoribus diuersas carniū partes horribiliter auellunt. illo nulli rei quam precibus vacante (legebat enim voce satis clara, quæq; ab astantibus facile intelligi posset, septē Psalmos Dauidicos pœnitentiales) nec vultus colorem mutante, manum, pedemue aut vllam corporis partem, ad tanta supplicia retrahente, aut cō mouente: nisi quod trunco ambustæ dextræ brachio, quoad eius fieri poterat, magna cum veneratione ter se crucis signo muniuit. Postea ex palo solutus, sua ipse femoralia pedibus excussit, & scannū quod ad eum exenterandum ibi paratum erat, pedes quantum poterat subleuādo, sponte conscendit. Tum verendis illi primum præcisis, & mox pectore & ventre per modū crucis lentè dissecto, intestina extracta, & cor, vt patriæ proditori, in faciem proiectum fuit: solis labijs, quæ orationi iam assueta erant, illo se commouente: & quasi vocem, orisq; sonum ad sola virtutum instrumēta a Deo accepisset, nullum vnquam auditus est emisisse, gemitū, aut suspirium: sed seruato vultus colore, inexpugnabilem, inuictiq; roboris spiritum, quartodecimo præscripti mēsis Iulij die, sub ipsa meridie, Deo creatori suo reddidit. Caput autem a corpore præcisum & hastæ iuxta vrbs mœnia infixum, multò pulchrius solito spectatium se oculis exhibuit. Corpus in quatuor partes dissectum: partes verò ad totidem oppidi Delphensis portas ex patibulis suspensæ sunt. Mors certè horrenda, & inauditi cruciatus, sed maior animi perferentis fortitudo.

F I N I S.